

## II. EX BELLO JUGURTINO.

Cap. I. Falso queritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla, atque aevi brevis, sorte potius, quam virtute regatur. Nam contra reputando, neque majus aliud, neque praestabilius invenias; magisque naturae industriam hominum, quam vim, aut tempus deesse. Sed dux atque imperator vitae mortalium, animus est: qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est, neque fortuna eget; quippe quae probitatem, industriam, aliasque artes bonas neque dare, neque eripere cuiquam potest. Sin captus pravis cupidinibus, et ad inertiam et voluptates corporis pessumdatus est, perniciose lubidine paulisper usus: ubi per socordiam vires, tempus, ingenium defluxere, naturae infirmitas accusatur, suam quippe culpam auctores ad negotia transferunt. Quod si hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura, multum etiam periculosa petunt: neque regerentur magis, quam regerent casus, et eo magnitudinis procederent, ubi, pro mortalibus, gloria aeterni fierent.

II. Nam uti genus hominum compositum ex corpore et anima est: ita res cunctae, studiaque omnia nostra, corporis alia, alia animi naturam sequuntur. Igitur praeclara facies, magnae divitiae, ad hoc vis corporis, et alia omnia hujusmodi brevi dilabuntur: at ingenii egregia facinora, sicuti anima, immortalia sunt. Postremo, corporis et fortunae bonorum, uti initium, sic finis est, omniaque orta occidunt, et aucta senescunt; animus incorruptus, aeternus, rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipse habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui, dediti corporis gaudiis, per luxum atque ignaviam aetatem agunt: ceterum ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque socordia torpescere sinunt; cum praesertim tam multae, variaeque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur.